Quaestio Medica Quodlibetariis Disputationibus Ex agitanda In Scholis Medicorum die Iouis 24 Nouembris D. Joanne Guyot D. M. Moderatore prudentissimo.

An Ars, et natura, Morborum Medica?

Homo omnium animalium temperatissimus maxime tamen valetudinarius ab ipsis principiis et robus exterioris constitutus: quas varios in corpore excitant morbos; omnes in corporis partibus suam consistentes: in quod nam humidi facilius, siccis difficilius et periculosius incurrunt, quorum causas pertinentes insitas ipsa et congenitas vitium quovis tempore in corpore concipiunt, evidentes vero cum prima, et maxime necessarias, corpus assiduo afficiunt: ut aer cum morborum autor, cibus et potus gignendis morbis pabulum materiamque suggerentes: alias pridem quas non commoveri ad provocandos omnis generis morbos vim habent. Ut pote homo totus a natiuitate morbus videntur.

Quouis etiam tempore quilibet morbi exsuscitantur; et si quidam quibusdam temporibus magis fiunt, et irritantur. Vere enim quo etiam temperato et salubri multi et frequentes, Insania, melancholia, epilepsia, distillationes, arthritides. Aestate, qua interna languent, feruori tamen et breues; omnes febrium generis febres autumno quo frequenti et graues, febres quartanae, hydropes, phthisis, stranguriae; hyeme denique; quae rari, sed perniciosi fiunt morbi, pleuritides, peripneumonias, cephalalgias, apoplexias, quas quidem signis, sine non pulsu tempore, urina tamen, et aliis accidentibus saepius dignoscuntur.

Quandocunque; autem morbi ab humorum copia, aut vitio orti nam quiete adulescentes, in corpus inuadunt, arte curandum est. Quamuis enim natura sit morborum medica, haud tamen diu solius opera, absque; artis beneficio morbus quiuis tolli potest. Neque; enim vacuante nam, medicari absurdum. Eiusque modo medicatio sanis eodem aegris prodest, nec minus quam diaeta in quauis valetudine necessaria in ea. Atque; hac morbos praesentes curat, et a futuris conseruat; ipsa et illa praesentes fugat, imminentes arcet, prudenter et tempestiue adhibita vitam protrahit, eamque; a morbis vindicat. Etsi integra corporis valetudine praediti, medicationes hyeme praesertim, et aestate saepius, aegre molestique ferunt.

Et duae sunt morborum causae plethora et cacochymia, ita quoque; duas curandi formas praecipuas. Venae sectio ordine prima, et vacuationum securissima, imminenti morbo tutior quam praesenti copiam humorum quas media vacuari non potest, subtrahit: corpusque; alacrius, et expeditius ad omnis generis functiones reddit. Purgatio vero in curandis morbis maxime necessaria humorum impuritatem, tum simplicibus, tum compositis, iisque; calidis medicamentis, humores non immutantibus nec sanium accelerantibus, insita familiaritate prolectando, euocat, et educit: deinde quoque; instituta, corpus pristino splendori restituit.

Verum quia varius est humorum impetus variique, ab illis oriuntur morbi, varius quoque; et multiplex in medendo habendus est delectus. Febribus enim continuis, et morbis febre calidis, venae sectio: intermittentibus vero et frigidis affectibus purgatio magis est usu est. Quamquam et biliosis cholagoga, ut aloe, rhabarbarum, diaprunum: sicut pituitosis, phlegmagoga, ut agaricum, hiera: melancholicis denique; melanagoga ut senna et catholicum aestate conueniunt. Nec obstat quod aestate per superiora, hyeme per inferiora purgandum; et quo nam regio ducendum est. Quas si extra morbi accessionem et iudicationem a concoctione, digestione, et praeparatione, conuenientes, et secundum artem fiant, salutem pollicentur.

Ergo Ars Morborum Medica.

Hugo Preuosteau Carnutaeus. 1569.

Dom. doctores disputn.

M. Nicolaus Picart.
M. Joannes le Conte Pr. reg.
M. Claudius Rousselet.
M. Claudius Bailly.
M. Stephanus Gourmelen.
M. Joannes Liebault.
M. Philippus Allen.
M. Claudius Tariquet.
M. Ludouicus Cochin.